

MARC. SQUARCIAL.

Erat in crinitę capite stella uel erat potius caput una ę stel-
 lis aureo quodam & grato fulgore. Quę stella, ut uideba-
 tur, quartę magnitudinis fuit, minime ipsa quidem scin-
 tillans, sed uno, & æquabili tenore fulgēs. Manabat à stel-
 la in ortum argenteus ex auro nitor, & quasi continuatus
 radiorum effluxus, qui prolixam leniterquę in Austrū in-
 flexam comam formabat, in Eurum fusam, ad basim satis
 patentem. Neque uerò à stella radius emicabat ullus in
 occasum, aut ad polos. Neq; radiatio comę ex ipso stel-
 lę orbe ducebatur, ut essent crines tanquam ę stellę sub-
 stantia riuus. Nam integra ex omni parte stella erat, atq; à
 coma in auersa solis parte attingebatur, tamen distinctio
 utriusq; aperta erat cum stellę, tum criniū extremitatis.
 Lunę à congressu nouam speciem sic mecum aduerte-
 bam, conferens cum ipso cometa propè lucente: in qua
 pars illustrata partem opacam, ut semper sit, quę ortū re-
 spicit uidebatur utroque cornu complecti. Neque ipsa
 coma erat stellę concolor. Aureus enim capitis fulgor,
 comę uerò argenteus, ut dixi, nitor potius quàm splen-
 dor. Qui nitor tamē à capite sensim dilutior fluebat, in ba-
 si demū hebetatus, & densinē. Nihil enorme, uel in stella,
 uel in crine fuit: nulla macula, nulla umbra, nihil (quātū ui-
 sum est mihi) retorridi, nihil fumidi uisum est. Quę cum
 ita fuerint, uidetur cometam istum non fumeū fuisse, aut
 inflammatum, sed stellam, aut aliud tale à Sole illumina-
 tū, quod à sole obiecto acceptā lucem in ortū post se re-
 gerebat: unde comę latē fusę species fuit. In basi crinitę
 angulus Aquilonis Austrino erat oblongior: qui forma-
 bat acutum apicem, uti pars meridionalis angulum obtu-
 sum. Eratq; pars comę ad Aquilonem Australi paulo
 nitidior. Quod si hæc omnia à fumi natura sunt aliena,
 superest ut dicamus, Cometam æthereum quippiam ef-
 se, non autem elementarem. Ad Solē respexit semper:
 ab eo tanquam Luna lumen excipiebat. Et cum lineam
 aspectu ipso à sole ad cometam ducerem, uidebam re-
 ctā ad apices usque ipsos solis radium aptissimē perti-
 nere,